

aut triplici bombo, ut buccino aliquo. Tunc universae provolant, si dies mitis futurus est. Prædivinam enim ventos imbresque, et tunc se continent caelis. Itaque temperie caeli (et hoc inter præscita habent) cum agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasque lanugine totius corporis: quibus est earum adolescentia, ad opera exeunt et supra dicta convehunt; seniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura scabra, pedes priores rostro; totæque onustæ remeant sarcina pandatæ. Excipiunt eas ternæ aut quaternæ, atque exonerant; sunt enim intus quoque officia divisa. Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo quod allatum est. Neque enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis et cibi fiat et temporis. Struunt orsa ea concameratione alvei, textumque vel usque ad summa tecta deducunt, limitibus binis circa singulos arcus, ut aliis intrent, aliis exeant. »

Subdit cap. xi, apes fucos, id est, apes pigras et otiosas, expellere ac trucidare. Additque cap. xvii: « Rex apum vel non habet aculeum, vel si habet, eo non utitur, majestate tantum armatus, mira plebei circa eum obedientia. » Et cap. x: « Mira observatio operis. Cessantium inertiam nolant, castigant mox, et puniunt morte. Mira munditia: amoliuntur omnia e medio, nullæque inter opera spurcitiæ jacent. Quin et excrementa operantium intus, ne longius recedant, unum congesta in locum, turbidis diebus, et operis otio, egerunt. Cum advesperascit, in alveo strepunt minus ac minus, donec una circumvolet eodem, quo excitavit, bombo, ceu quietem capere imperans; et hoc castrorum more. Tunc repente omnes conticescunt. » Rursum, cap. xvii: « Cum procedit (rex), una est totum examen, circaque eum conglobatur, eingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore cum populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis. Circa eum satellites quidam lictoresque, assidui custodes auctoritatis. Procedit foras, non nisi migratorio examine. Id multo intelligitur ante, aliquot diebus murmure intus strepente, apparatus indice, diem tempestivum eligentium. Si quis alam ei detruncet, non fugiet examen. Cum processere, se quæque proximam illi cupit esse, et in officio conspici gaudet. Fessum humeris sublevant, validius fatigatum ex toto portant. Si qua lassata deficit, aut forte aberravit, odore persequitur. Ubicumque ille consedit, ibi cunctarum castra sunt. » Et mox: « Duce prehenso, totum tenetur agmen; amisso dilabitur, migratque ad alios: esse utique sine rege non possunt; invitæ autem interimunt eos, cum plures fuerent. » Denique asserit regem unius alvearis contra regem alterius, ubi de pascuis et floribus lis est, aciem instruere, ac ingenti rixa dimicare: « Quæ dimicatio injectu pulveris aut fumo tota disexitur. Re-

conciliantur vero lacte vel aqua mulsa. » Tandem cap. xx: « Vita, ait, apibus longissima, septenis annis universa. » Quocirca Virgilius et alii censent apibus vim quamdam divinam, et quasi quid nuntius inesse; sic enim canit Virgilius, IV *Georg.*:

Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus  
Æthereos dixere.

Apes ergo imitentur universi homines etiam principes, præsertim sapientes et Religiosi. Unde recte Abbas ille in *Vitis Patrum*: « Sicut, inquit, apis ubique mel operatur, sic monachus ubique bonum opus. » Et Abbas Ampo lib. VII, cap. xxxii: « Sicut apis, inquit, quocumque vadit, mel operatur: ita et monachus quocumque pergat, si propter opus Dei perrexerit, dulcedinem bonorum actuum potest afferre. »

Ex ape ergo parva, et quoad speciem vili, docet Siracides, neminem ob parvitatem vel deformitatem debere contemni. Audi lepidam sed eruditam hac de re epistolam S. Gregorii Nazianzeni, num. 155, ad Nicobulum, qua eum redarguit, quod Alypianam filiam S. Gorgoniæ sororis suæ, ipsius vero conjugem, ob parvitatem et curvitatem despiceret: « Alypianam apud nos cavillis incessis ut parvam, ac tua proceritate indignam, o magne et vaste, ac gigante tum forma, tum robore. Nunc demum intellexi, animum mensuræ subijci, et virtutem expendi, ac rupes margaritis præstantiores esse, corvosque lusciniis augustiores. Tu vero magnitudine tua et cubitis fruire, nec Aloidis illis ullo modo inferiorem te præbe. Equum enim ducis, et hastam vibras, et feræ tibi curæ sunt: ipsa autem nil operis patrat, nec magni operis est radium ferre, et cælum tenere, ac telæ assidere; id enim feminarum decus est. Quod si hoc quoque adjicias, eam orationis causa humi curvam esse, ac per ingentes mentis agitationes perpetuam cum Deo consuetudinem habere; quid hic de tua sublimitate, corporisque mensura te jactabis? Vide tempestivum silentium; loquentem audi, quam incompta sit; animadvertite, quam sit femina fortis ac strenua, quas rei domesticæ utilitates afferat, quam viri amans sit. Ac tum illud Laconis dices: Certe animus in mensuram minime cadit, atque externum hominem oculos in internum conjectos habere oportet. Si hæc ad hunc modum consideres, joculari desines, eamque ut parvam deridere, tuumque conjugium faustum ac felix judicabis. » Vide quæ de nomine et forma S. Pauli, id est parvi, dixi *Rom.* I, 1, et *Zachariæ* IV, 10, ad illa verba: « Quis enim desepxit dies parvos? » et *Deuter.* III, 11, de Og gigante magnitudine. Vide et præfationem in *Minores Prophetas*. De symbolis et significatione apum vide Pierium *Hieroglyphico* 26.

Memorable est quod in Vita S. Gregorii Turo-nensis Episcopi ad diem 17 novembris legimus, eum visitantem limina Apostolorum a S. Gregorio Magno tum Romano Pontifice introductum

basilicam S. Petri, ac Pontificem secretam Dei dispensationem admiratum fuisse, quod in hominem adeo parvum brevisque staturæ tanta cœlitus gratia profluxisset; quod cum ille divinitus permisisset, placido vultu Pontificem respiciens: « Dominus, inquit, fecit nos, et non ipsi nos; idem in parvis, qui et in magnis. » Cumque id suæ cogitationi S. Pontifex responderi cognosceret, magis cum venerari cœpit, eumque aurea cathedra donavit, quæ etiamnum a Turonensibus religiose asservatur. Idem nuper noster Bellarminus, et ipse parvus, sed bene auritus, cuidam id merenti respondit.

Huic de apibus simile est proverbium Arabum de culicibus, *Centur.* 2, num. 24: « Ne despicias debilem in conversatione ejus: nam culex fodit oculum leonis; » quod petium est ex historia. Nam a culicibus in Mesopotamia mire infestari leones, e Marcellino lib. XVIII, et Strabone lib. XVI, supra ostendi. Et illud Hebr. in *Gemara*, cap. I in *Hagiga*: « Granum pipæ præstat canistro cucurbitarum; » quod Nathan Justus edisseruit de quodam doctore, qui inter cæteros doctores minimus erat et acutissimus. Citat illud Angelus Caninius in lib. *De Locis Novi Testam.*, et sic explicat: « Pluris est unus sapiens, quam omnes stulti. » Et illud R. Josæ Babylonii: « Ne specta cantharus, sed id quod in eo est: nam interdum cantharus novus referus est vino veteri, interdum cantharus vetus ne novum quidem vinum continet, » q. d. Ne considera speciem, sed mentem; non staturam, sed sensum; non ætatem, sed sapientiam; ne specta hominem ex forma vel ætate, sed ex moribus, eruditione, industria. Sunt enim senes bis pueri, sunt rursus juvenes senili prudentia.

Symbolice, « brevis in volatilibus, » id est, abjecta et humilis inter reginas et dominas, imo mulieres omnes, fuit apis, id est, virgo Deipara (apes enim sunt virgines, uti ostendi *Isaiæ* VII, 15), quæ mel, id est, Christum mundi delicias peperit: unde de eo cecinit *Isaias*, cap. VII, 17: « Butyrum et mel comedet; » mel enim de cœlo labitur, sic et Verbum de cœlo lapsum est in uterum Virginis. Mel ergo nostrum est parvulus Emmanuel, de quo nomine multa dixi *Isaiæ* VII, 14.

Apis ergo mystice symbolum est Christi, qui in ortu, veniens in mundum, dedit mel clementiæ, sed in cauda, rediens scilicet ad iudicium, exeret aculeum justitiæ, dicens reprobis: « Ite, maledicti, in ignem æternum. » Item B. Virginis, ac S. Joannis Baptistæ, qui melle silvestri victitavit, ac melle cœlestis doctrinæ nutritivum, et aculeo castigationis pupugit corda Judæorum. Insuper Virginum, Religiosorum et Prædicatorum. Nam, ut ait Hugo, apis primo, est sedula: sic et Prædicator ac Religiosus sit sedulus et fervens spiritu; secundo, apis est parca sibi, larga aliis: talis sit et Prædicator; tertio, apis brevis est, id est parva: sic Prædicator et Religiosus sit humilis; quarto, apis vocem habet majorem corpore: sic et Prædicator ita reso-

net, ut etiam audiatur a mortuis per peccatum, juxta illud *Isaiæ*, XI: « Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem; » quinto, apis mel habet in ore: Prædicator suavitate habet in prædicatione; sexto, apis in grege similis est aliis: sic et Prædicator non sit singularis, sed in conversatione cæteris se adæquet, et cum Paulo dicat: « Omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos facerem; » septimo, apis sub rege est: sic Prædicator, licet regat alios, regatur a Christo et a suo Prælato; octavo, apis si ungetur oleo, perit: sic Prædicator, si ungetur oleo adulationis, interit; nono, apis reviviscit aceto: sic Prædicator recordatione passionis Christi vivit, et alios vivere facit; decimo, apis crure secatur: sic Prædicator tam in se quam in aliis resecat voluptatem, quæ crure et femore designatur; undecimo, apis stimulum habet: sic Prædicator extimulet pigros; duodecimo, apis cum vulnerat, moritur: sic Prædicator cum nimis acriter corripit, scandalizat et peccat, juxta illud *Proverb.* XXX, 33: « Qui vehementer emungit, elicit sanguinem; » decimo tertio, apis casta manens prolem parit: sic Prædicator castus filios parit Christo; decimo quarto, apis pedes habet cassos: sic Prædicator propriam deponat voluntatem et sensum, ac S. Scripturæ sensu, Deique voluntate regatur; decimo quinto, apis flores pascit, non sordes: sic Prædicator cœlestibus pascatur, non terrestribus; decimo sexto, apis nascitur ex corio bovis: sic Prædicator maculata in se superbia, qui fuit in sæculo taurus, in claustro fiat apis, uti de Saulo factus est Paulus; decimo septimo, apis cellas facit sexangulas: sic Prædicatori locus orationis et studii sit solidus et varius; decimo octavo, apis alteri api onus gestanti de via decedit: sic Prædicator cedat et socio, juxta illud: « Alter alterius onera portate, » *Gal.* VI, 2; decimo nono, apis colit palmam: sic Prædicator crucem; vigesimo, apis frigore putrescit: sic Prædicator torpore; vigesimo primo, apis api pedibus nequitur: sic Prædicator Prædicatori amoris affectibus conglutinetur; vigesimo secundo, apis cellam inhabitat: sic et Religiosus ac Prædicator cellam S. Scripturæ incolat; vigesimo tertio, apis quasi cineta est: sic Prædicator fide pectus, et castitate renes cinetus est; vigesimo quarto, melior in apibus fit rex: sic in Religione meliores præsent et regant; vigesimo quinto, apis calida est: sic Prædicator ardeat igne charitatis, juxta illud Christi *Luce* XII, 49: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » vigesimo sexto, apis fugit fumum, foetorem, strepitum: sic et Prædicator fugiat fumum elationis, foetorem luxuriæ, et strepitum mundi; vigesimo septimo, apis fert lapillum, ne vento auferatur: sic Prædicator ferat lapidem compunctionis, quo fundat pectus, ne vento inanis gloriæ abripiatur; vigesimo octavo, apes, defuncto rege, inter se pro novo depugnant: sic Prædicator, Prælato mortuo, pugnet ut probus eligatur; vigesimo nono, apis ra-

fit mel: sic Prædicator animas. Hæc omnia deinde iugo hisce versibus complectitur:

Sedula, parca, brevis, vox major corpore, mel dat,  
In grege sub rege est, perit uncta, revivit aceto,  
Crure secat, stimulat, vitam cum vulnere ponit,  
Casta facit prolem, pede cassa est, florida pascit,  
Nascitur ex tauro, sexangula mœnia condit;  
Fumos, fœtores, strepitum fugit, et lapides fert  
In vento, pugnat defuncto rege, rapitque,  
Cedit portanti, palmam colit, et pigra bruma:  
Rex fit in examen qui prævalet, et calet omnis.

De ape plura vide apud Varronem, Columellam, Aristotelem, Plinium locis citatis; ac de ea rursus dicendum *Proverb. vi, 6*: «Vade ad formicam, o piger,» ubi Septuaginta addunt: *Vade ad apim*. Apis enim exemplar est laboris et industriæ.

«Brevis» ergo «in volatilibus apibus» est Christus infans, qui mellificat in animabus sanctis, et paseitur floribus inter lilia; villis in pannis, dulcis in paleis, suavis in præsepio, suavissimus in cœlo. A Christo idem participant Christiani, præsertim Religiosi et Prædicatores, uti jam ostendi.

4. IN VESTITU (Græce, ἐν περιβολῇ ἱματίων, id est, in circumjectione vestimentorum, ut vertunt Romanæ) NE GLORIERIS UNQUAM, NEC IN DIE HONORIS TUI EXTOLLARIS.—Græce: *In amictu vestium ne gloriare, et quo tempore in gloria es, ne efferto te*; Syrus id per antithesin declarans, vertit, *eum qui indutus est indumentis vilibus ne irrideas, et ne contemnas hominem cujus amara sunt palata*, id est, hominem afflictum, qui ægro est animo. Vers. 2 et 3 elisit superbiam ob formam et pulchritudinem, hic elidit superbiam ob vestium splendorem, ac ob dignitatem et honorem; qui enim est in dignitate, v. gr. rex, princeps et Prælati, habet occasionem superbiendi, tum ob statum honorificum, quo cæteris eminens ab omnibus honoratur; tum ob splendorem vestium regalium, ut diadematis, sceptri, purpuræ; vel pontificalium, ut tiaræ, poderis, ephod, etc. Monet ergo Siracides, ut in illis principes et Prælati non superbiant, sed humiliter et modeste se gerant.

Explicat hunc locum S. Chrysostomus homil. 2 in epist. I ad Tim., in morali: «In amictu, inquit, vestium ne gloriaris. Ista pridem prædicabantur infantibus: nempe enim et saltator, et scortum, et histrio, gratiora et pretiosiora circumfert. Tineæ præterea ubi pretiosiora illa invaserint indumenta, hujus te gloriæ voluptate privabunt. Vides quam incerta, quamque instabilis sit vitæ præsentis gloria? Gloriantur in re quam vermes et gignunt, et perdunt: feruntur enim quidam ex tracia vermiculi hujusmodi conficere vestes. Si vestem possidere cupis superne intextam, amictum omnino mirabilem atque clarissimum, indumentum penitus aureum acquirere stude. Nempe illud aurum non metallum est,

cujusmodi damnatorum effoderunt manus, verum ex virtute generatur. Induamus nos stola illa quam non homines inopes aut servi conficiunt, sed ipse Dominus se diligentibus præparat. Quid, oro, vestimento huic insertum est, quod te facit illustrem? Aurum, scilicet. Et hoc quid ad rem? Opificem enim mirantur omnes, non eum qui fuerit amictus; ille enim revera admiratione dignus est: quemadmodum et in simplicibus vestibus, non lignum in quo apud fullonem vestis tenditur, admiramur, sed opificem potius, licet ipsam lignum ferat.» Plura vide apud Tertullianum lib. *De Habitu mulierum*, et *De Cultu feminarum*, ac S. Cyprianum, tract. *De Habitu virginum*.

Gloriatus est Herodes in veste regia, et acclamatione populi vociferantis: «Dei voces, et non hominis;» quare illico percussus ab Angelo, consumptus a vermibus expiravit, *Act. xii, 23*. Ex adverso Christus, cum triumpho quasi Messias ingrediens Jerusalem in die palmarum, acclamante turba: «Hosanna filio David,» non sese extulit, quia sciebat hunc honorem mox vertendum in contemptum, ac se quinto post die ab iisdem crucifigendum. Sic et Job cum esset rex, de regali honore non est elatus: prævidebat enim fieri posse, quod contigit, ut omnibus spoliatus sederet in sterquilinio, et testa pus e corpore abraderet.

Præclare Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. 111: «Sicut Evam, inquit, serpens decepit, ita etiam alias mulieres mundus muliebris aureus, esca utens serpentis figura, in probra impellit, nempe murænulas quasdam aureas et serpentes ad decorem effingens.» Et Seneca lib. II, *epist. 47*: «Stultus est qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus: sic stultissimus qui hominem ex veste æstimat,» præsertim cum vestis sit stigma peccati, uti ostendi *Gen. iii, vers. 7 et 21*. Plura de modestia vestitus dixi II *Petri iii, vers. 3*, et *Isaiæ iii*, sub finem cap.

Porro *dies honoris* est dies, quo quis exaltatur et honoratur, v. gr. dies victoriæ et triumphi, dies electionis vel coronationis, dies celebritatis et festi, etc., imo totum tempus quo quis in magistratu vel dignitate versatur. Monet ergo ut illo non infletur, nec animo extollatur. Sic Romani duci triumphanti in curru apponebant servum (Plinius lib. XXVIII, cap. IV, vocat carnificem), qui ei crebro insurraret: «Respice post te, hominem te memento,» uti refert Tertullianus *Apolog. cap. xxxiii*.

Porro quod ad honorem et gloriam attinet, S. Augustinus, lib. V *De Civitate*, cap. xiii, laudat Catonem, «qui quo minus petebat gloriam, eo magis illum gloria sequebatur. Quandoquidem gloria est, cujus illi cupiditate flagrabant iudicium hominum bene de hominibus opinantium. Et ideo melior est virtus, quæ humano testimonio contenta non est, nisi conscientia suæ.» Est ergo

hæc secunda species humilitatis et modestiæ, qua quis modeste se gerit in splendore vestium et dignitatum.

Idipsum festivo hirci et ericii apologo docet Cyrillus, lib. II *Apolog. moral.* cap. III: «Hircus, inquit, ad fontem accedens, ut ardentia siti viscera refrigeraret, oculis in lacem nitore fulgentem coniectis, similitudinem vultus sui, quam in eum emiserat, reverberantibus rivi speculis, mox suscepit. Cumque videret caput altis cornibus ornatum, atque protensam faciem pendente barba insimem, corde hilari vocem exultationis emisit, atque se in maximis magnificare cœpit, dicens: Quam decenter staret eminens in cornuto capite corona pavonica, et torquata cervix quam convenienter descenderet facie subts barbata. Hinc cum audisset ericius, stans et ipse in fonte, dixit amentem, et dixit: O si post tergum oculos haberes, te de corona et torque nullo modo dignificares. Nimirum videres caudulam pendendam tuam, et mox humiliatus de fastuoso capite deponeres jactantiam. Ut quid dignificas te de maximis, et magnipendis miseriam tuam? Pone te in libra justitiæ, tunc videbis qualis sis. Nempe pugillus es terræ, et quid te extendis in regna? o favillæ ignis, quare te erigis super stellas? Porro si te magni æstimas cum sis parvi, tentabis majora, et insufficientem mox te confundent maxima: sed si te ipsum parvipendis, ubique tutus eris, quoniam humilitas parit timorem, et timor procurat securitatem, et hæc custodit salutem. Verum si te ipsum in altis dignificas, jam te ipsum extra mensuram judicas.» Deinde idipsum manifesta ratione evincit: «Quæso igitur, ut sequaris commune jus; hoc autem præcipit, ut in iudicio non credatur uni, nec alicui minus quam sibi, de bonis.» Ex quibus hoc epimythium sive ethicum dogma colligit: «Crede mihi, quia maxime se vilificat, qui se magnis dignificat. Sicut qui se judicat sapientem, fit amens. Lux quidem luce confunditur, et altitudo altitudine curvatur, sed aliorum stella mentitur aspectibus, et cunctis inferior luna super omnia decoratur. Ubi ergo est profunda humilitas, ibi excelsa est dignitas: et ubi ex temetipso est dejectio magna, ibi ex virtute tibi est dignificatio maxima. Nam dum mundanis honoribus nos judicamus indignos, tum nos humilitas sempiternis atque celestibus reddit dignos. Quibus auditis, hircus eruditus, quia se deificaverat, erubuit.»

QUONIAM MIRABILIA OPERA ALTISSIMI SOLIUS, ET GLORIOSA, ET ABSCONSA, ET INVISA OPERA ILLIUS.—Græca de more concisa sic habent, *nam mirabilia sunt opera Domini, et ἀφανῆ, id est absconsa, vel occulta (quod Noster vertit, invisita) opera ipsius hominibus*; Syrus, *quia dubia sunt arcana Dei, et abscondita ab hominibus opera ejus*. Dat causam cur non sit gloriandum in vestitu splendido, neque in honore et dignitate, eamque duplicem. Prior est, quod Deo soli competat gloria, illique soli

liceat gloriari; quia uti ejus majestas est gloriosissima, ita pariter et opera ejus gloriosissima sunt. Ubi adverte. In Deo sunt omnes virtutes nostræ, excepta humilitate. In Deo enim non est humilitas, sed majestas et gloria: Deus enim necanem habet superiorem, cui se humiliare et subicere possit; sed est ipsa immensa majestas, cui jure suo competit omnis honor et gloria: quam si respueret, faceret contra dignitatem suæ majestatis et divinitatis; eamque abiceret, et deprimeret, quæ utique illius esset gravis injuria, quod absit. Sicut ergo Deo competit gloria, sic homini competit humilitas, utpote qui in omnibus subjectus sit Deo, utpote a quo ipsam essentiam, dignitatem, honorem, vestitum, omniaque dona tam naturæ quam gratiæ, quæ habet, accepit. Porro Deus, ut humiliaret se, et sua humiliatione nos doceret humilitatem, quasi virtutem nobis congruam et propriam, sumpsit humanam naturam, in eaque humiliavit se infra creaturas, adeo ut diceret: «Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.» Vide quanti Deus faciat humilitatem, qui pro ea fasces, et fastigium deitatis ad calces humanitatis nostræ infinito descensu inclinavit.

Posterior est, quod Dei «opera» sint abscondita et invisita, id est, incognita hominibus, ita ut præter opinionem hominum sæpe secreto suo iudicio dignitatem et vestes gloriosas homini adimat, eumque redigat ad penuriam, squalorem et pauperiem: deponit enim potentes de sede, ut canit B. Virgo. Unde exclamat Apostolus *Roman. xi, 33*: «O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, et investigabilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?» Idipsum explicans Siracides subdit: «Multi tyranni,» etc. Porro Lyranus et Hugo censent opera Dei dici *mirabilia*, eo quod mirabiliter præter expectationem, sæpe hominum sortem et felicitatem immutet, ut sublimes humiliet, humiles sublimet; pauperes ditet, divites depauperet. Hugo vero censet dici *mirabilia, primo*, quia Deus subinde malos præficit, juxta illud Jobi: «Qui regnare facit hypocritam;» *secundo*, quia homo dum honoratur, sæpe ignorat cur sibi honorem indulgeat; *tertio*, quia Deus efficit, ut mali regnum non evertant, nec universi ordinem perturbent, imo nec dehonestent; sed ex eorum malitia ingentia vel justitiæ vel clementiæ suæ decora elicit. Sicut ergo in ludo schaccorum rex subinde dejicitur, ac veles in regnum extollitur: sic Deus subinde reges e solio dejicit, plebeios in regnum exaltat, nimirum:

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Unde sequitur:

5. MULTI TYRANNI SEDERUNT IN THRONO, ET INSUPPICABILIS PORTAVIT DIADEMA.—Pro in throno, Græce

est, ἐπ' ἐδάφους, id est, in solo, humi, super pavementum, ut sit antithesis, q. d. Deus suo iudicio facit, ut tyranni regno priventur, et ex solio deiciantur in solium, ac ad humum affligantur: ex adverso facit ut vilis, de quo nemo suspicabatur, evehatur ad regnum et gestet diadema. Quocirca Tigurina vertit, *multi tyranni humi resederunt, et fuit qui diadema gestavit inexpectatus*; alii, *multi tyranni sederunt in pavimento, et is de quo minime suspicio erat, gestavit diadema*. Unde S. Gregorius Nazianzenus, orat. 2 contra Julianum, in eum hæc intorquens ait: « Qui potentes de sedibus deponit, et insuspicabilem (qualis fuit Valentinianus, successor Juliani) diademate ornat. » Hinc nonnulli opinantur nostrum Interpretem vertisse, in solo, sed sciolum aliquem pervertisse in solio, alium ex solio fecisse throno. Verum τὸ solio characteribus pene omnibus differt a throno; et omnia Biblia Latina habent, in throno; sicque legit Rabanus, Lyranus, Dionysius, Hugo et cæteri; quin et Syrus vertit, *multi contemptibiles sederunt super sedem regni, et qui non ascendebant in cor* (id est, de quibus non cogitabatur), *induti sunt vestibus gloriae*, uti multos Pontifices vidimus, et videmus creari ac gestare diadema, imo coronam triplicem, de quibus nemo opinabatur quod ad summum hoc mortalitatis fastigium evehendi essent. Unde novis Pontificibus in coronatione accinitur: « Suseitat de pulvere egenum, et de stercore elevari pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium glorie teneat. » I Regum II, 8, et Psalm. CXII, vers. 7. Quare videtur Noster pro ἐπ' ἐδάφους, legisse ἐπ' ἔδρα, id est, in sella et solio, thronoque regali. Antithesim vero hujus versus continet versus sequens.

6. MULTI POTENTES (Græce *dynastæ*) OPPRESSI SUNT VALIDE, ET GLORIOSI TRADITI SUNT IN MANUS ALTERORUM, — q. d. Sicut Deus mira sua providentia facit, ut tyranni per vim et tyrannidem, thronum regni occupent, itaque de quibus nemo suspicabatur, portent diadema: ita vicissim ex adverso multos potentes de throno dejicit, valideque opprimit, ac gloriosos tradit in potestatem aliorum, qui eos regno, opibus, libertate et sæpe vita privant. Hoc in quibuslibet regibus et principibus, etiam legitimis, et legitime imperantibus, sæpe accidisse legimus; sed maxime in iis qui per fastum, vim vel dolum, imperium et rempublicam invaserunt, aut illud crudeliter, avare, superbe administrarunt. Nam, ut ait Demosthenes *Olynth.* 2. « Regnum malis artibus comparatum, et vi retentum, non potest diu durare. »

Quocirca Phalaris Agrigentinarum tyrannus, epist. 34 ad Demosthenem: « Neque homo, inquit, si fieri posset, ut, antequam nasceretur, quænam mala passurus esset, audiret, nasci unquam voluisset; neque privatus qui tyrannidi studeret, si illius intelligeret calamitates, tyrannus potius quam privatus esse vellet: sicque Demosthenes, non nasci, et privatum quam tyrannum esse, utilius intelligo. » Cicero *Tuscul.* v narrat Dionysium tyrannum Damocli, eum beatum prædicanti, mensam regiam instruxisse, ut hujus suæ beatitudinis foret particeps: sed simul e laqueari gladium suspendisse, qui beati illius capiti immineret. Quem intuens Damocles, nec comedere, nec bibere ausus, exoravit tyrannum ut abire liceret, quod jam beatus esse nollet. Plura de his habet Petrus Gregorius lib. VI De Reipubl. cap. XIX. Unde Tigurina vertit, *multi potentes magnam subierunt infamiam, et in manus aliorum traditi sunt magnifici*; Syrus, *multi reges ignominia affecti sunt, et multi gloriosi dejecti sunt de gloria sua*.

7. PRIUSQUAM INTERROGES, NE VITUPERES QUEMQUAM: ET CUM INTERROGAVERIS, CORRIPE JUSTE. — Græca significantius et pulchrius, πρὶν ἢ ἐξετάσῃς, μὴ μέμῃς: νόσον πρῶτον, καὶ τότε ἐπιτίμα, id est, priusquam exquiras, ne accuses: intellige primum, et tunc reprehende; Tigurina, *ne quid reprehendas priusquam exploraris: fac cognoscas prius, et tunc jure vituperes*; alii, *priusquam exploraveris, ne reprehendas: cognosce primum, deinde objurgato*. Hæc sententia æque ac præcedentes ad humilitatem et modestiam pertinent, novumque ejus modum et speciem suggerit, ordine tertium. Multi enim ex superbia, et ex mentis levitate, putantes se omnia scire et intelligere, præcipitant iudicium, illicoque cum sinistri aliquid audiunt, credunt. Alii suas primas impressiones tenaciter retinent, ex quadam naturæ et phantasie pertinacia: unde quod semel illi impresserunt, constanter tenent, nec dant locum defensionem et excusationi; imo si suas impressiones vere refelli et convinci audiunt, ægre ferunt; multo minus inquirunt et explorant rei factive veritatem, sed mox quasi de illa certi, factum reprehendunt, vituperant, damnant. Quod sane temerarium est iudicium, et proximo injurium, non tantum cum in publico tribunali a iudice, vel coram iudice id fit, sed etiam cum privata vituperatione vel censura id agitur.

Monet ergo Siracides, ut in censurando prudentiam et modestiam adhibeamus, nec quippiam vituperemus, nisi prius bene examinatum et discussum: quo facto, corripiamus, sed juste, quantum scilicet facti gravitas meretur, et proximi salus ac reipublicæ incolumitas exigunt; ideoque « animo dilectionis, non animo ultionis; ne cum parcitur carni, anima pereat, » ait S. Augustinus in *Psalm.* CII. Qua de re vide ea quæ dixi *Galat.* VI, 1, et S. Bernardum serm. 44 in *Cant.*, qui docet in correptione præmittendum oleum lenitatis; quod si non prosit, addendum vinum acrimonie, instar Samaritani, *Lucæ* X, 30. Hinc iudici accusationem audienti dicitur: « Audi et alteram partem. » Unam aurem da accusatori, alteram servate reo se excusanti. Ita Constantinus Magnus imperator Faustæ uxori accusanti Crispum filium de stupro leviter credidit, Crispumque innocentem occidit;

ejus innocentia dein le cognita inconsolabilem egit luctum. ac Faustam pariter, quæ calumniam hæc Circo struxerat, itenrem. Sic et Theodosius sententiam mortis præcipitavit in Thessalonicenses, quod imaginem suam deiecissent; quæ de causa a S. Ambrosio reprehensus, publicam egit penitentiam, ut narrat ex Sozomeno et aliis Baronius. « Nam sententia in sontem lata, sed dilata, revocari potest; vita vero innocenti ablata revocari non potest, » uti docet Seneca lib. De Ira, et lib. De Clementia. Hæc de causa sapienter Festus, præses Romanus, rogatus a Judæis, ut S. Paulum inauditum damnaret, respondit: « Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, » *Actor.* XXV, 16. Et Menander: « Inexaminatum ne punias ullum. » Et Seneca tragedus in *Medea*:

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,  
Æquum licet staverit, haud æquus erit.

Sapientius S. Augustinus, serm. 202 De Tempore: « Maxima pars generis humani, ait, indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta et parata esse probatur; cum tamen non ita se velit ab aliis iudicari, quomodo vult alios iudicare. Propter hoc Scriptura divina admonet, dicens: Priusquam interroges, ne iudices quemquam; et cum interrogaveris, corripe juste. Omnis homo prius se vult interrogari, et postea, si reus est, patienter tolerat reprehendi. Et quidquid nobis omnes volumus ab aliis fieri, justum est ut hoc aliis studeamus implere. Prius cum patientia interrogemus, et solliciti simus, ut, cum aliquid certius agnoverimus, tunc aut si mala sunt, reprehendere; aut si bona, defensare valeamus. » Hæc de causa Deus nobis binas dedit aures, ut utramque partem audiamus; et in medio earum unam mentem quæ iudicet, et unam linguam quæ iudicatum eloquatur. Unde Hebræi aures in duali vocant אוזניים *oznaim*, quasi כּאוזניים *mozenaim*, id est bilances. Sicut enim inter duas lances media est lingula, quæ recto iustoque pondere librat, examina et ostendit pondus utriusque lancis, utrum alteri præponderet: sic duas aures nobis dedit Deus, ut utrimque rationes audiamus, easque mente libremus, examinemus et diiudicemus, ac quod justum iudicaverimus, ore promamus. Quocirca S. Prosper, *epigram.* 21, hæc de non temere credendo et censendo, prudentiæ Christianæ dat documenta:

Culpare in quoquam quæ non sunt nota, malignum est;  
Præsertim, quæ sunt cognita, si bona sunt.  
Non pateant faciles sævis rumoribus aures;  
Quæ nescire s'vat, credere non libeat.  
Linguantur secreta Deo, qui, si quid opertum est,  
Lipicit, et nullis indiget iudiciis.

8. PRIUSQUAM AUDIAS, NE RESPONDEAS VERBUM: ET IN MEDIO SERMONUM (male Complutenses legunt, se-

niorum; nam Græce est λέγων, id est sermonum: ita Romana) NE ADJICIAS LOQUI. — Græce, μὴ πρὸς ἀκούσαντα ἐπιτίμα, id est, ne interjicias r. v. m.; Romana, ne interloquaris, id est, ne interrumpas loquentem. Est hæc quarta species modestiæ et humilitatis, æque ac prudentiæ, quæ iubet, ut non respondeas antequam plene interrogationem vel quæstionem aures exceperis, et mente conceperis. Rursum ut quærentem vel narrantem quippiam non interrumpas. Respondere enim ante perceptam interrogationem, et loquentem interrumpere, est indicium et effectus, primo, superbiæ, qua putas te tam solertem, ut conjectes quid alter velit interrogare, ut instar Prophetæ divines quid alter mente concipiat et intendat. Unde S. Bernardus, De Gradibus humilitatis. hunc nonum assignat: « Nonus, ait, humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus, et taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur; » secundo, levitatis, qua responsum præcipitas ante tempus opportunum; tertio, imprudentiæ, qua exponis te periculo, ut impertinenter et extra propositum respondeas, quia dum respondes de fabis, alter forte interrogare volet de aliis, ut vulgo dicitur. Unde *Proverb.* XVII, 13, dicitur: « Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum; » et cap. XXIX, 20: « Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est quam illius correptio; » quarto, incivilitatis et rusticitatis: incivile enim et rusticum est, alium loquentem interrumpere, ac respondere antequam plene ejus quæstionem audieris.

Porro generalis est hæc sententia; unde variis aptari potest. Primo, doctore, q. d. Antequam audiendo bene didiceris, noli alios idem docere; noli fieri magister antequam fueris discipulus. Ita Rabanus: « Qui prius, inquit, doctor esse desiderat quam discat, stultitiæ noxam non declinat. » Vide Nazianzenum, orat. 1 apologetica de Fuga in Pontum, ubi inter alia ait: « Alios docere aggredi priusquam ipsi satis edocti simus, et, ut vulgo dicitur, in dolio discere figulinam, id est, in aliorum animabus pietatem meditari et exercere, valde stultorum et temerariorum esse videtur. » Figuli enim non statim in dolio, sed in exiguis vasculis aut ollis figulinam. addiscunt, in quibus si aberrant, ut opus reficere oporteat, parva est iactura, cum in ingenti dolio sit magna.

Secundo, iudici, q. d. Iudex non proferat sententiam donec audiat litigantes; ex accusatione duntaxat neminem condemnet, tam reum se defendentem, quam actorem accusantem audiat. Ita Rabanus: « Qui iudicare, ait, proximorum facta priusquam plene causam utriusque partis dignoscat, inordinate festinat, et ille se confusione dignum demonstrat, quia magis pertinacem quam prudentem se esse probat. » Quare iudices qui sapiunt, prius omnes altere audiunt, quin et aliorum sententias et iudicia exquirunt,

omniaque circumstant, antequam suam sententiam pronuntient. Unde Petrarca ait nos in loquendo et respondendo debere imitari citharædos, qui antequam citharam pulsant, singulas chordas sonantes audiunt, ac inter se contemperant, ut congruum edant sonum et harmoniam. Ita hanc sententiam explicat Damasus Papa, *epistol.* 6, ut habetur xi, *Quæst.* III, can. 76: «Eorum qui accusantur, inquit, causas discutere non licet priusquam canonicè vocati ad Synodum veniant, et præsens per præsentem agnoscat veritatem, et intelligat quæ ei obijciuntur; quod et per sapientiam Salomonis (multi enim Ecclesiasticum attribuunt Salomoni, uti dixi in proœmio) dicitur, juxta Septuaginta: Antequam scruteris, ne reprehendas; intellige prius, et tunc increpa. Antequam audias, non respondeas.» Alioquin dicitur tibi: «Sicut prave intellexisti, sic prave respondes,» ut habetur *de Consecrat.*, dist. 2, cap. 1 et xv, *Quæst.* VIII, in fine: «Priusquam audias, inquit, ne judicaveris quemquam; atque ante probationem accusationis illatæ neminem a tua communione suspendas, quia non statim qui accusatur reus est, sed qui convincitur criminosus.»

*Tertio*, consiliario, *q. d.* Consultus ne præcipitet consilium, donec plene rem audiat, perspiciat, comprehendat.

*Quarto*, in familiari colloquio donec audieris dicentem, ne respondeas, nec ejus sermonem intercidas. Afficis enim eum injuria et ignominia, si conceptum ab eo sermonem velut indignum impedis, ne prodeat in lucem; ac prodis tuam impatientiam, qua alium loquentem pati non potes; pariter et superbiam, quasi illo meliora dicturus sis. Ita Palacius. Sapientia ergo et salus hominis est, libenter et multa audire, ac tarde et pauca loqui; sicut salus Leporis est silentium atque auditus acredo et celeritas, quæ eum de canibus et venatoribus admonet, ut fuga sibi consulat. Unde Plutarchus lib. IV, in *Symposiac.* *Quæst.* V: «Leporum, ait, oculi adeo sunt indefessi, ut etiam apertis iis dormiant. Celeritate autem exaudiendi videtur aliis anteire; ejus admiratione ducti Ægyptii, in suis sacris litteris picto lepore auditum significant.»

9. DE EA RE, QUÆ TE NON MOLESTAT, NE CERTERIS (ita quoque legit S. Lucius Pontifex *epist.* 1. *Ne certaris*, id est ne certes, ne contendas; Interpret enim Ecclesiastici et Sapientie certari usurpat pro certare, uti monui superius, et patet *Sapient.* xv, 9, et inferius, cap. xxxviii, 29: vide Franciscum Lucam in Notis hic), ET IN JUDICIO PECCANTUM NE CONSISTAS. — «Admonet, ait Rabanus, ut in superfluis rebus non nimis simus curiosi, et peccantium pravitate non consentiamus. Nam digni sunt morte, non solum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus,» ait Paulus Roman. 1, 32. Unde Psaltes *Psalm.* 1, 1: «Beatus vir, inquit, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in ca-

thedra pestilentie non sedit.» Græca habent, *de re quæ non est ad te, ne certes, et in judicio peccatorum ne consideas.* Ita Complutenses. Sed Romana, Jansenius et alii legentes, *περι πραγμάτων ουδ' εστι σοι χρεία*, vertunt, *de negotio, vel re qua tibi non est opus, ne certes, etc.* Eodem tamen redit utraque lectio et versio, æque ac nostra. Nota est quæ te non molestat; nam res nobis commissæ sua cura et sollicitudine nos affligunt et molestant. Figurina, *ne contendas de eo quod tua nihil interest, nec te judicem adjungas consessui scelerosorum; Syrus, si est in te vis, ne contendas; et in medio iniquitatis ne multiplices fraudem.*

Est hæc quinta species modestiæ, aliena non curans. Sunt enim nonnulli immodesti, curiosi et superbi, qui omnia aliorum facta examinaré judicare et censere volunt, de iisque pariter inter se certant et contendunt, hi accusando, illi excusando. Jubet ergo primo, ut ab hoc examine, disquisitione et certamine rerum ad nos non pertinentium abstineamus, ne nostram et aliorum pacem et concordiam turbemus sine ratione et causa. *Secundo*, ut a turba illorum qui temerarie alios judicant, vel approbando, vel condemnando, ideoque peccant, abstineamus et secedamus, ne eorum pravo judicio consentiamus, vel consentiende videamur, itaque animam nostram et famam contaminemus. Huc facit vetus proœmia apud Adagiographum: «Ne edas allia et fabas,» hoc est, ne bellis et contentionibus, neve judiciis intersis. Nam in bellum inferebantur allia, velut commeatu militaris, quia frugalis et durabilis. Unde illud anonymi apud Suidam: «Perdo allia in obsidione.» Allio quoque in escam dato, aves ad pugnam incitari, memorat Pierius *hieroglyph.* 24. Est enim allium acre et mordax. Hinc illud Aristophanis in *Equitibus*: «Dum ais te diligere me, allia me,» hoc est, pupugisti me, et adegisti ad lacrymas: has enim excitat allii odor et esus. Fabas vero esitabant iudices, ne obdormiscerent, ait Suidas; aut potius fabis dabant suffragia: hinc faba notat iudicium, iudiciumque suffragium. Sunt et qui de aliis fabisque, id est, de quisquiliis, murmurant et lites movent, uti de aliis Ægypti sibi in deserto adeptis murmurabant Hebræi *Num.* xi, 5.

Sapienter Cicero *Tusculan.* II: «Et refellere sine iracundia, inquit, et reielli sine pertinacia parafsimus.» Hac modestia discinditur omnis contentionum nodus; sed sunt nonnulli gallis gallinaceis iracundiores et pertinaciores, ideoque contentiosiores; hi elleboro indigent, ut iras litesque edormiant.

10. FILII, NE IN MULTIS SINT ACTUS TUI: ET, SI DIVES FUERIS, NON ERIS IMMUNIS A DELICTO. — Græca sic habent, *τέκνον, μη περί πολλά εξωσαν δι πράξεις σου; εδω γάρ πλοῦτος, ουκ ἀθωωθήσεται*, id est, *fili, ne circa multa sint actus tui; si enim multiplicaveris, non eris innocens: quia in tam multis varie et multipliciter peccare contingit.*

Ex Græco ergo hæc sententia primo, generatim accipi potest, quasi dicta contra πολυπραγμονας, qui omnia agere, sibi arrogare volunt, itaque nihil bene agunt, vel certe non peragunt, nec ad finem perducunt, quod pariter est vitium præsumptionis et superbiæ, æque ac imprudentiæ. Unde de talibus Afer dixit, «eos nil agere, sed satagere.» Sensus ergo est, *q. d.* Ne in multis, scilicet negotiis et curis, sint actus tui, quia qui multa amplectitur, pauca stringit: pauca ergo amplectere, cura et stringe; alioqui non eris immunis a delicto, quia non poteris omnibus attendere et satisfacere. Exemplum clarum est in nonnullis Advocatis et Procuratoribus, qui tot suscipiunt causas forenses, ut omnes fideliter et recte agere nequeant; quo fit, ut eorum negligentia sæpe clientes condemnentur, et causas iustas amittant: qui peccant injustitia, ac ad restitutionem subinde tenentur.

Audi Rabanum, vel potius S. Gregorium I part. *Pastoralis*, cap. iv (ex eo transcripsit Rabanus): «Juxta tropologiam, inquit, sæpe suscepta cura regiminis cor per diversa diverberat; et impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. Unde hic consulte per sapientiam dicitur: Fili, ne in multis sint actus tui; quia videlicet nequaquam plene in uniuscujusque operis ratione colligitur, dum mens per diversa partitur. Cumque foras per insolentem curam trahitur, a timoris intimi soliditate vacuatur, fitque in exteriorum dispositione sollicita, et sui solummodo ignara; scit multa cogitare, se nesciens; nam cum plus quam necesse est exterioribus implicat, quasi occupata in itinere obliviscitur quo tendebat: ita ut ab studio suæ inquisitionis aliena, ne ipsa quidem quæ patitur damna consideret, et per quanta delinquat, ignoret.»

Ratio a priori est, quod mens et attentio hominis sit finita, imo valde exilis et limitata; quare in multa divisa minuitur, deficit et evanescit, juxta illud: «Pluribus intentus minor est ad singula sensus.» Præstat autem pauca excellenter agere, quam multa obiter et exiliter, juxta illud cap. xxxiii, 23: «In omnibus operibus tuis præcellens esto.» Hinc Phocion apud Stobæum, sermon. *De prudentia*, ait, «difficile esse multas vias ingredi,» *q. d.* Difficile est ut multis intentus, quidpiam præcellens operetur. Et Artemidorus in *Onirocriticis* (id est, divinatione ex somniis) conjectat eum qui dormiens multos oculos se habere somniarat, plane cæcum fore, quod scilicet multitudo oculorum cæcitatem notaret; quia qui multa confuse vident, nihil rite peragunt. Et Thales Milesius ad suos dicere solebat: «Unum eligite præclarum, unum quiddam divinate præclarum.» Ita Laertius lib. I, cap. 1. Et Aristoteles: «In magnis, inquit, negotiis oportet unum negotiari ad unum opus, quia melior est cura intentia circa unum, quam circa plura.» Ita

ipse lib. IV *Politie*. Unde lib. V: «Princeps, inquit, nullum virum totius sui domini debet facere custodem,» tum quia hoc nimis vastum et multiplex est opus; tum quia periculosum principi, ne scilicet eustos principem principatu excludat, seque faciat principem, uti sæpius factum legimus et vidimus. Seneca, *epist.* 111: «Magnam rem puta, ait, unum hominem agere; præter sapientem autem nemo unum agit. Cæterum multiformes sumus.»

Juxta S. Gregorium et Rabanum ergo, et ex eo Glossam, hic locus intelligitur de multo regimine, ut in multis tam masculine quam neutre accipiatur, *q. d.* Ne circa multa et multos regendos occuperis; paucos potius regendos suscipe, imo si potes, nullum, nisi teipsum. Attende tibi; si enim in die iudicii vix poteris reddere rationem animæ tuæ, quomodo reddes tot centenarum vel millium animarum, quarum principatum, episcopatum, vel pastorum, id est, regimen et curam, ambis? Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patitur? ait æterna Veritas.

Quocirca S. Augustinus, *Quæst.* LXVIII in *Exod.*: Quam sit, ait, observandum quod Scriptura dicit: «Fili, ne in multis sint actus tui,» patet in Mose, qui totius populi querelas et lites cognoscere volens, audiit a Jethro: «Non bonam rem facis, stulto labore consumeris,» *Exodi* xviii, 18. Unde suasu ejus minores causas ad minores iudices et officiales relegavit, majores duntaxat ipse sibi reservavit. Idem imitentur Prælati et principes. Ita Joannes Fischerus Episcopus Roffensis et Cardinalis, quo nullum Britannia, sed nec forte orbis Christianus tunc sanctiorem, doctiorem, aut vigilantiorum Præsulem habuit, ait Sanderus lib. I *De Schismate Anglic.*, quique cum Thoma Moro ab Henrico VIII occisus est, quod incestus ejus cum Anna Bolena nuptiis suffragari nollet, cum major et locupletior episcopatus illi ab eodem Henrico offerretur, eum recusavit, dicitans se perbeatum fore, si de hoc saltem minuto concredito sibi grege, deque non adeo magnis inde acceptis emolumentis in die Domini recte respondere possit, cum et de bene curatis animis, et de recte expensis pecuniis, tunc reddenda sit ratio exactior, quam mortales fere putent aut curent; in quo genere quo quisque pauciores sibi commissos, vel homines, vel nummos haberet, eo futurus sit in altero sæculo securior; seque facile sentire ex hoc tantilli pastoratus pondere, quantum futurum esset majoris muneris onus. Scite quoque vir sapiens hujus ævi dixit «Nulli matri plus filiorum, quam lactis; nulli prudenti plus negotiorum, quam virium esse debet.» Hoc significat illud ænigma: «Oportet agrum imbecilliorum esse quam agricolam;» quod simili proverbio explicat Virgilius dicens: «Laudato ingentia rura, exiguum colito.» Plus enim fructuum dabit exiguus ager diligenter, quam ingens